



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Bvlla S. D. N. D. Pii, Divina Providentia Papæ IV. Super forma iuramenti
professionis fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

gesimo quarto, Indictione septima, die vero quatta mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pij, diuina prouidentia Papæ Quarti, anno quinto, superscriptæ litteræ Apostolicæ publicatæ & affixæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, dimissis ibidem in superscriptis locis superscriptarum litterarum copiis affixis, vt moris est, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magister Curforum.

**BVLLA S. D. N. D. PII, DI-
VINA ProuIDENTIA
PAPÆ IV.**

Super forma iuramenti professionis fidei.

**PIVS EPISCOPVS, SERVVS
SERVORVM DEI AD
perpetuam rei memoriam.**

NIVNCTVM nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidã Ecclesiæ suæ directionẽ, sanctis Patribus, in nomine suo congregatis diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudẽ & gloriam incunctanter exequi properemus. Cũ itaq; iuxta Concilii Trid. dispositionẽ omnes, quos deinceps Cathedralibus & superioribus ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscumq; beneficiis Ecclesiasticis, curam animarũ habentibus, prouideri contingeret, publicam Orthodoxę fidei professionẽ facere, sequẽ in Romanę Ecclesię obedientia permanuros spõdere, & iurare teneantur. Nos volentes, etiam, per quoscũque quibus de monasteriis conuentibus, domibus, & aliis quibuscumq; locis, Regulariũ quorumcumque Ordinum, etiam Militariũ, quocumque nomine vel titulo prouidebitur, idẽ seruari, & ad hoc, vt vnus eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostrę sollicitudinis partes in hoc alioi minime desiderari, formam ipsam præsentib. annotatam publicari, & vbique gentium per eos ad quos ex decretis ipsius Concilii & alios prædictos spectat, recipi & obseruari, ac sub pœnis per Conciliũ ipsum in contrauententes latis, iuxta hanc & non aliam formã, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtẽ præcipiendo mandamus, huiusmodi sub tenore: Ego N. firma fide credo & profiteror omnia & singula, quæ
Kkk 5
conti-

Concil. Tri-
cū declarari.

maneat in
veneranda

continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Rom. ecclesia vult videri.
licet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem celi
& terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in vnum Dominum
Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante
omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de
Deo vero, Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem
omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram sa-
lutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Ma-
ria virgine, & homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pon-
ticio Pilato, passus & sepultus est, resurrexit tertia die secundum Scri-
pturas: & ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris: & iterum ven-
turus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non er-
it finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex
Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & co-
glorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnā sanctam Catho-
licam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in re-
missionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, &
vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditio-
nes, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones
firmissime admitto & amplector. Item sacram Scripturam iuxta
sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudica-
re de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto,
nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum accipiam
& interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere & proprie sa-
cramenta nouæ legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque
ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria. Si-
licet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam,
Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratia
conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem, sine
sacrilegio reiterari nõ posse. Receptos quoque & approbatos Eccle-
siæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum so-
lemni administratione recipio & admitto. Omnia & singula quæ de
peccato originali & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Syn-
odo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor
pariter, in Missa offerri Deo verum proprium, & proprium
sacrificium, pro viuis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistia
Sacramento esse vere, realiter & substantialiter Corpus & Sangui-
nem, vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, nec
que conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius sub-
stantiæ vini in Sanguinem, quam conuersionem Catholica Eccle-
sia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera spe-
cie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramen-
tum sumi, Constantiter teneo Purgatorium esse, Animasque in de-
rentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vna cum Chri-
sto regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationem
Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Fe-
milis

missime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, successoris, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata in dubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas & anathematizatas, ego patenter damno, reicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentem sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, usque ad extremum vite spiritum, constantissime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N spondeo, voueo, ac iuro, Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Volumus autem quod præsentem litteram, in Cancellaria nostra Apostolica, de more legantur: & vt omnibus facilius pateant, in eius Quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimo quarto, Idibus Nouembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

F. Cardinalis Casus.

Ca. Glorierius.

LECTA & publicata fuerunt suprascriptæ litteræ Romæ, in Cancellaria Apostolica, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimo quarto, die vero Sabbati, nona Mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pij, Papæ Quarti, Anno quarto.

A. Lomellinus Custos.

BECLA.